



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

7 Vtrum requirantur determinata verba.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

sum sicut sacramenta noua Legis, quae ab ipso Christo effluunt, & quaedam similitudinem ipsius in se habent ut dictum est. \* Vtebantur tamen in veteri Lege aliquibus verbis, in his quae ad cultum Dei pertinent, tam sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum ministri (secundum illud Num. 6. Sic benedicetis filiis Israel, & dicitur eis: Benedicat tibi Dominus, &c.) quam etiam illi, qui illis sacramentis utebantur: secundum illud Deut. 26. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, &c.

## COMMENTARIUS.

Hic articulus intelligendus est de sacramentis nouae legis, & ita est clarius in vtroque sensu articulo praecedenti explicato, & rationes & congruentia D. Thomae sunt optima: in quibus non explicatur necessitas ex institutione orta: haec enim per se satis clara est, si de institutione constat. Reddit ergo rationem ipsius institutionis, tam ex parte instituentis, qui fuit Verbum incarnatum, quam ex parte hominis, qui animo & corpore constat, quam ex parte ipsius signi, ut esset expressius, magisque determinatum ac certum. Atque ex eisdem rationibus colligit D. Thom. in solut. ad 3. quare haec proprietates & perfectio potius sacramentis nouae legis attributa est, quam veteribus, & omnia sunt in contextu D. Tho. satis clara.

## ARTICVLVS VII.

Vtrum requirantur determinata verba in sacramentis.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod non requirantur determinata verba in sacramentis. Ut enim *Zid. 1. Peri. hoc parum d. princ. 101.* Philosophus \* dicit, voces non sunt eadem apud omnes. Sed salus, quae per sacramenta queritur, est eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in sacramentis.

2. Praeterea, verba requiruntur in sacramentis in quantum sunt principaliter significatiua, sicut dictum est. \* Sed contingit per diuersa verba idem significari. Ergo non requiruntur determinata verba in sacramentis.

3. Praeterea Corruptio cuiuslibet rei variat eius speciem. Sed quaedam corrupte verba proferunt, nec tamen propter hoc creditur sacramentorum effectus impediri, alioquin illiterati & balbi, qui ista sacramenta conferunt, frequenter defectum in sacramentis inducerent. Ergo videtur, quod non requirantur in sacramentis determinata verba.

Sed contra est, quod Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistiae dicens Matth. 26. Hoc est corpus meum. Similiter etiam mandauit discipulis, ut sub determinata forma verborum baptizarent, dicens Matth. vltim. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij & Spiritus sancti.

*Art. praeced. ad 2.* Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) in sacramentis verba se habent per modum formae, res autem sensibiles per modum materiae. In omnibus autem compositis ex materia & forma, principium determinationis est ex parte formae, quae est quodammodo finis & terminus materiae, & ideo principaliter requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata materia: materia enim determinata requiritur, ut sit proportionata determinata forma. Cum igitur in sacramentis requirantur determinata res sensibiles, quae se habent in sacramentis sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum.

*Tract. 80. d. 6. per Iohann. m. 6.* Ad primum ergo dicendum, quod sicut August. \* dicit sum. 6. per Iohann. verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur, id est, non secundum exteriorem sonum vocis, sed quia creditur, id est, secundum sensum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eadem voces sint, quantum ad sonum. Et ideo cuiuscumque lingua verbum proferatur talis sensus perficitur sacramentum.

Franc. Suarez Tom. 3.

Ad secundum dicendum, quod licet in qualibet lingua contingat diuersis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est, quae principaliter & communius homines illius linguae vtuntur ad hoc significandum, & talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti, cuius usus est communior ad actum, per quem sacramenti effectus significatur, sicut aqua communius vtuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur, & ideo aqua assumitur, ut materia in baptismo.

Ad tertium dicendum, quod ille, qui corrupte proferat verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, & ita non videtur perfici sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore vel lapsu linguae, si sit tanta corruptio, quae omnino auferat sensum locutionis, non videtur perfici sacramentum. Et hoc praecipue contingit, quando sit corruptio ex parte principij dictionis, puta, si loco eius, quod est in nomine Patris: dicat, in nomine matris. Si vero non totaliter auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum. Et hoc praecipue contingit, quando sit corruptio ex parte finis: puta, si aliquis dicat in nomine Patris & filias. Quamuis enim huiusmodi verba corrupte prolata, nihil significant ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut significantia ex accommodatione usus. Et ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus. Quid autem dictum est de differentia corruptionis, circa principium vel finem dictionis rationem habet, quia apud nos variatio dictionis ex parte principij mutat significationem, variatio autem ex parte finis dictionis, ut plurimum mutat significationem, quae tamen apud Graecos variatur etiam secundum principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis, quia ex vtraque parte potest esse tam parua, quod non auferat sensum verborum, & tam magna quod auferat, vnum horum facilius accidit ex parte principij, & aliud, sed ex parte finis.

## COMMENTARIUS.

Hic articulus eodem modo exponendus est, quod articulum quintum declarauimus: nam eadem est vtriusque ratio, imo addit D. Thom. maiori quadam ratione requiri hanc determinationem in verbis, quam in rebus, quia per verba determinantur res ad propriam sacramentalem significationem. In solutione vero ad primum explicat hanc determinationem, non debere materialiter intelligi, in sono vocis, sed in sensu & significatione, & in hunc modum exponit difficultates Aug. tracta. So. in August. 10. Verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur, sed quia creditur, i. e. quia significat aliquid, quod fide creditur, sed hic locus Aug. latius est tractandus in sequentibus. In solutione vero ad 2. & 3. tradit D. Thom. quaedam regulas circa mutationem & corruptionem verborum sacramentalium, quae in sequenti disputatione latius sunt a nobis explicandae.

## ARTICVLVS VIII.

Vtrum liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum.

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod nihil liceat addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum. Non enim minoris sunt necessitatis huiusmodi verba sacramentalia, quam verba sacra scripturae. Sed verbis sacra scripturae nihil licet addere vel minuire, dicitur enim Deut. 4. Non adderis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Et Apocaty. vltim. Confessor omni audienti verba prophetiae libri huius, si quis apposerit ad haec, apponet super eum Deus plagas scriptas in libro isto: & si quis dimiserit, auferet Deus partem eius de libro vitae. Ergo videtur, quod

B 3 neque